tioni & judicio ipsius, sicut oraverat, ut illum respice- A ret, ut humilitatem, & laborem. Urget multitudine, cui resisti non possit, & quam totam, & tantum perire, atque damnari doleat: odium etiam iniquum, capitale, malignum, in quo dici possit, quod nesciant quid faciant, quia nullam prætexere caussam possunt probabilem, sicut & Christus Iudæis a ipse objecit, è citatis ex alio Psalmi verbis b, quod odio habuerunt eum gratis. Tales David multiplicatos queritur *super capillos capitis sui c*.

a Joa. 15. 25. b Ps. 34. 19. Ps. 68. 5. c Ps. 68. 5. d in Epist. ad Hebr. hom. 5.

Existimat Chrysostomus d, cum præcedentibus, caussam quare sibi David poscat ignosci, quia nimirum tot res ferat adversas, adeò multos infensos inimicos habeat, tàm capitalibus aliorum odiis divexetur. Demonstrat simul argumentum benevolentiæ divinæ, ac salutis esse hìc mala, malosque pati, ut è contrario damnationis, quum in hac vita omnia ex animi sententia eveniunt. Deus tamen interdùm, ne efferantur hostes nostri, maximè quando cedere id posset in contemptum ipsius, coercet illos: *Sed propter iram*, inquit, e, *inimicorum distuli, nè forte superbirent hostes eorum* B *& dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.*

e Deut. 32. 26.

Odii distinctio.

Odio iniquo oderunt me.) Hebraicè est *odium*, rapinæ, violentiæ, mendacii, seu mendax, Violentum, tyrannicum, implacabile, שנאת חמס *sinath chamas*. Chaldaicè, *rapina* רחטוף *a echatoph*. Odium perfectum est, quo prosequimur iniquitatem in iniquo, non personam ipsam: iniquum, quando propter damnum, quod patimur, & bonum quod indè expectamus: magis iniquum, quum odimus nulla provocati injuria, nullum reportantes lucrum, sed potiùs malum, qualis malevolentia, qui erui sibi unum passus est oculum, ut ambo eruerentur inimico. Hoc ultimum genus odii cognominatur *odium gratis*, δωρεάν, חנם *chinnam*.

Vers. 20.) Custodi animam meam, & erue me: non erubescam quoniam speravi in te.

QUum vires mihi contra tot hostes non sufficiant, opem efflagito ut vitam tuearis & corporis, & multo magis animæ: utrique parata circum pericula sunt, nec quidquam propriùs quam ut in ea incurram. Alit & sustentat me ista spes, nec vereor, ne frustratus pudefiam. *Liberari, erui, eripi*, dicitur de manibus hostium non modo qui jam sit captus, sed qui protegitur, ac munitur, nec capiatur; capereturque, nisi adjuvaretur. Hoc secundo modo alibi Propheta f gratias agit, quod esset liberatus *de inferno inferiori*, videlicet ex maximis periculis vitæ, exque ipsis, ut dici solet, faucibus inferni. Animam Job g Deus Diabolo non permisit, sed ut servaret imperavit: animas deposcit sibi, cætera negligit h, ut accommodatitiè loquar. Voluit Deus vitam salvam Job, rationis liberorum usum non supra vires urgeri tentationibus i.

f Ps. 85. 13. g Iob. 2. 6. h Gen. 14. 21. i 1. Corinth. 10. 13.

Non erubescam, quoniam speravi in te.) In Psalterio Romano: *Domine non confundar, quoniam invocavi te.* Sensus idem, sed ἤλπισα & חסיתי *chasithi speravi* significant. Psalterium Ambrosianum, *Non confundar* Quid autem sit *erubescere*, & qua de caussa contingat, quum quis quod speraverat, vel petierat, non consequitur, diximus jam alibi. *Non est confusio confitentibus in te*, ait Daniel k. Hoc autem loco *erubescam*, est optativi modi, sicut initio Psalmi, μὴ καταισχυνθείην.

k c. 3. 40.

Vers. 21.) Innocentes & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.

NOn solùm provoco misericordiam tuam, quam spero: sed ne frustra id facere videar, quod obstet in me fraus, dolusve, profiteor me ab hac re alienissimū, utpotè qui delecter mirificè consortio, & usu simplicium & innocentium, hique adhærescant libenter mihi, quod sciant quam sint res meæ totæ projectæ in te ipsum, & pendeam ex te totus mei propositione animi mei. Hos ego ceu amicos, ac notos, & advocatos, vadesque compello, & allego. Pari quadam ratione Abimelech depulit culpam exceptione simplicitatis cordis, & munditiæ manuum l: Ezechias deprecatus est veniam, renovata memoria præteritorum meritorum in oculis Domini cum *veritate & corde perfecto m*. Elias ut impetraret, proposuit Deo se servum illius, justaque præcepta ipsius fecisse n. Christus ipse in sua oratione ad Patrem posuit se semper ab eo exaudiri solitum o, tamen in præsentia precari propter populum circumstantem, ut crederat quod se ille misisset. Quæ censeri quoque simul ratio alia potest in his verbis delitescens, & à Thoma tradita, nimirum, ne qui nitantur, ac pendeant ex incolumitate Davidis adeò multis innocentes & justi, cum pereunte pereant.

l Gen. 20. 5. m Isa. 38. 3. n 3 Reg. 18. 36. o Joa. 11. 41.

Tertia expositio, ut quia dixerant ante se *unicum*, idest, humana ope destitutum, jam significet, propter solitam spem, quam in Deo habere se demonstraverit, solatium sibi ac favorem affuisse justorum, ac etiam affuturum. Quarto innuit patientiæ ac spei suæ exemplo attractos ad amicitiæ societatem fuisse innocentes moribus, rectos fide atque corde innocentes, absque dolis, rectos cum bonis operibus. Quintus sensus: Neminem læsi, nec ullam justam dedi caussam hostibus contra me: non etiam tot afflictus malis ad iniquitatis confugi præsidia, sed te sustinui, expectans patienter, ut me liberares, idcirco serva me. Favent Hebræa, si abstractè, ut sunt, accipiantur, vel præterea sumendo verbum optativè. Sexto exponi potest. Da ut in innocentia, rectitudineque vitæ ambulando, non prosiliendo ad vindictam, aliave tuendæ vitæ illicita remedia, reddar dignus quem serves, quum abs te multis fractus afflictionibus non desciverim, sed cum patientia expectaverim. Apollinarius explicat absolutè non de patientia, vel spe, sed propter cultum Dei, amoremve reperisse rectos, ac mites sodales.

Σεῦ ἕνεκ ἰθυνόους ϗ ἠπίους εὗρον ἑταίρους.

Tua caussa rectos, & mites inveni sodales.

Postremò quia proximè dixerat: *Non erubescam, quoniam speravi in te*, rationem dat, quare timeat erubescere, si deseratur à Deo: multi namque commoti C exemplo ipsius adhærebant ei, hac una de caussa potissimum, quod viderent in solo Deo illum sperare; cogerent ergo illum erubescere, si spe, frustraretur. E Græcis, ac Latinis, patribus aliisque, sensus hi eruuntur.

Innocentes, & recti adhæserunt mihi.) Hieronymus: *Simplicitas & æquitas servabunt me.* Id Hebræa quoque sonant תם וישר יצרוני *thom vajoscher iitseruni*, & Chal. שלימותא וחריצותא יטנוני *schelmuta utritsutha iitteronanni*, Perfectio, & rectitudo, vel integritas & æquitas, custodiant me, nempe ut apud te commendent me, & faciant ut custodiar à te, innocentia mea, & sinceritas: sic tu me custodias, sicut insontem ipse me, ac innoxium gessi, abstinuique tàm ab omni fraude, quàm injuria. Usurpant scripturæ quandoque abstracta pro concretis, ut p, *Appropinquaverunt visitationes urbis*, idest, Adsunt jam visitatores Chaldaicè: *Qui constituti sunt ut perdant urbem.* Item q, *Erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorum* D *renum ejus*. Chaldaicè, *justi, & fideles*; præterea r *Ponam visitationem tuam*, (idest, visitatores tuos) *pacem* r, hoc est, pacificos, *& præpositos tuos justitiam*, idest, justos, sive qui justitiam, & pacem procurent efficiantque. Sic etiam Angeli *potentes* vocantur potestates s: *principes*, principatus: *minantes*, dominationes t: *throni*, qui præsident: & *porta*, ac *sedes* de hominibus judicib.

Abstracta pro concretis in Scripturis usurpari solita. p Ezech. 9. 1 q Isa. 11. 15. r c. 60. 17. s Eph. 3. 10. t Coloss. 1. 16

Porrò pro יצרוני *iitsruni*, quod significat *conservabunt*, vel *conservent*, vel conservarunt me: videntur legisse Lxx. יצורוני *titsoruni* à צרר *tsarar*, quod est, *alligabunt*, sive alligaverunt, vel alligent se mihi, quòd Latinè per *adhærendi* verbum, & Græcè per ἐκολλῶσθαι expressum est. Fortassis quoque legerunt concretas voces התם והישר *tham vaiaschar*. *Innocens & rectus*, quamvis & *thom* sic etiam nomen concretum. Per sensum accommodationis de pueris innocentibus dici potest adhæsisse Christo. Didymus *innocentes* ἀκάκους, *malitiæ expertes*, ac *simpliciores* interpretatur: *rectos*, qui virtutem perfectam exequantur: aut primos, homines; secundos, Angelos: virum probum, & hi, & illi circumstant.

Susti-

Sustinui te.) Addunt, *Domine*, Psalterium Roma- A num, & Ambrosianum. Sed id superfluum esse monet Hieronymus a.

a Ep. 135.

Vers. 22.) Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.

NOn pro se uno precatur, sed pro populo toto suo, qui maxima ex parte defecerat ad rebellem filium Absalonem, aliumve perduellem: multiplicatos enim paullo ante inimicos conquestus est b. Sicut autem etiam exposuerat multiplicatas tribulationes cordis sui, petieratque de necessitatibus erui, ita nunc orat, ut Israeliticum populum liberet Deus ex omnibus tribulationibus. Dignam Rege precationem Basilius, Eusebius, ac Theodoretus appellant, quia deceat eum, qui ad principandum constitutus est omnem curam impendere subditis, & non tantum pro se, sed & pro sibi commissi populi utilitate precari.

b v. 19.

Aptè vero ab *Israele* populum hic universum denominat: vox enim ista redigit in memoriam, quanta Deus Jacob in calamitatibus & bellis cura prosecutus fuerit, ut satis constat ex Genesis capite trigesimo secundo, & trigesimo quinto, & quadragesimo tertio: atque ex ipsomet novo nomine *Israel*, quot *victorem* significat, & *fortem contra Deum*, quique multo magis prævaliturus esset contra homines. Hoc notatum Psalmo decimo nono c.

Nomen Israel quid & vide. c v. 2.

Euthymius, ac Eusebius probabile ducunt, de se ipso Davidem intelligere, dum nominat *Israel*, quia genus ab eo trahebat. Addit, videri quoque posse orationem Christi pro Ecclesia, quæ Deum videt per fidem. Sed sequitur falsam, licèt communem satis Etymologiam, ut *Israel* sit mens, aut vir videns Deum, de qua egimus alibi. Illud de solemni prece Regis pro populo factum legimus quoque à Salomone, quando templum dedicavit d, à Job pro filiis e: & idem innuere videtur conjuncta in lege naturæ cum primogenitura dignitas sacerdotalis: C quodque summi Principes apud Romanos Pontificio etiam munere fungerentur: & prodeuntes in bellum sacrificabant Consules majoribus hostiis, teste Livio f. Nec destituimur exemplis Catholicorum Principum, ut Constantini, Theodosii, Ludovici, similium, qui ipsimet per se non solum per Sacerdotes pro populo supplicaverunt. Minus formidant populi, ut Aristoteles docet g, ne contra justitiam fiat, si religioni Principem deditum existimabunt, ac Deorum timorem habere: minusque contra illum audebunt insurgere, quasi Deos habeat συμμάχους, propitios, faventes, *compugnantes*. Denique *oratio communis*, idest, pro aliis, non pro se tantum, *dulcior quodammodo*, idest, pro aliis, non pro se tantum, *dulcior quodammodo*, inquit Chrysostomus h *Ecclesia in commune orat*, ait Ambrosius i, *ut & operatur, & tentatur*.

Falsa Israelis Etymologia. d 3. Reg. 8. per notum. e Job. 1. 5. f l. 31. & 36. g 5. Polit. c. 11. h in c. 6. Mat. i 1 Offic. c. 29

Libera Deus Israel.) Hieronymus & Psalterium Ambrosianum, & Augustinus, & Cassiodorus, *Redime*: quo verbo utitur noster etiam interpres Psalmo CXXIX. k, *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus suis*, ubi est idem verbum Græcum λυτρῶσαι, & Hebræum פדה *padah*. Psalterium Romanum: *Redime me Deus Israel*, quo pacto non pro Israele, sed pro seipso David orat. D Sed articuli את *eth*, atque, τὸν, ante nomen *Israel* omnino demonstrant casum Accusativum ejusdem.

k vers. ult.

Ex omnibus tribulationibus suis.) Alii, *angustiis*, sed Psalterium Romanum, *ex omnibus angustiis meis*: quasi de suis agat David, non autem de populi Israelis. Obstant pariter pronomina αὐτοῦ, & in Hebræo nomine צרותיו *tsarothau*. Subtilius est, quod Genebrardus observat circa litteram פ *peh* à qua versus hic ultimus inchoatur, cum suo priùs loco juxta ordinem alphabeti, principium alteri versui dederit, indicare orandum pro universa Ecclesia; neque ori parcendum, qui פה *peh*, os significat: & ab eadem littera, vel etiam ab ore, sicut Latinum verbum *orandi* deducitur, ita Hebræum פלל *pa'al*, quod idem valet.

Genebrardi observantia circa litteram. Orare ab ore deductū.

PSALMUS VIGESIMUS QUINTUS.

1. In finem, Psalmus David.

JUdica me Domine: quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.
2 Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum.
3 Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.
B 4 Non sedi cum consilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.
5 Odivi ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo.
6 Lavabo inter innocentes manus meas; & circumdabo altare tuum Domine.
7 Ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.
8 Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.
9 Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam:
10 In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.
11 Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.
C 12 Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te Domine.

TITULUS.

Vers. 1.) In finem Psalmus David:

Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.

IN titulo Hebræus textus habet לדוד *le David, Davidi, vel, Davidis.* Hoc, & quæ sint addita, quid velint, dictum alibi Augustinus legit dumtaxat, *Ipsi Davidi*. In Græcis libris emendatis est, τῷ Δαυΐδ. In Complutensibus, Regiis, & aliis, & apud Theodoretum, & Euthymium Ψαλμὸς τῷ Δαυΐδ.

ARGUMENTUM.

VErisimile est conscriptum Psalmum, quando exultabat David Saulem fugiens, eumque apud illum adversarii falsis criminibus insimulabant l. Orat ut secundum suam innocentiam contra illos Deo judicet, ipsummet invocans testem, quòd & religionem ex animo coluerit & improborum societatem vitaverit: vovet, si liberare dignabitur Deus ab iis malis, quæ debentur improbis, tùm gratias tùm laudes. Quia verò innocentiam suam hic refert, existimat Theodoretus, posteriorem esse Psalmum, qui præcessit, in quo fatetur multum esse peccatum suum. Convenit in argumento præter Theodoretum, etiam Basilius, ac Euthymius. Mavult Lyranus Psalmum esse de statu David, quando post mortem Saulis ex responso Domini intravit in regnum, manens in Hebron cum sola domo Juda, ceteris Isboseth sequentibus m. Aliis n placet, editum Psalmum, quum factus est rex super totum Israel,

l 1 Reg. 15. Theodoretus cur præcedentem Psalmum posteriorem hoc existimet. m Reg. n Adr. Laveri Cajeta.

.rael, oluitque transferre arcam Domini in montem A
a 2.Reg.5.& 1 Paral.13. Sion a.

b Ad Marcellianum. Athanasius b usurpari præcipit à nobis, si expectent nos inimici manibus nulla alia re plenis, quàm sanguine, studeantque nos interficere, ut non homini deferamus judicium, quia suspecta sunt omnia humana, sed Deum judicem postulemus, qui solus absolutus, & infallibilis, nec fallens judex. Prima opinio communior, cui non officit, quòd nulla de inimicis, ut Cajetanus objicit, expressa mentio fiat.

In hoc igitur primo versu David à rege Saule, cui erat injustè invisus provocat, appellatque quodammodo Deum, quia non poterat ad alium, flagitans, ut in ista caussa velit judex esse, eò quòd non reprehendat eum, Deo ipsi benè nota conscientia sua, & ob innocentiam propriam, judicisque summam æquitatem non dubitet, quin superior evadat. B
Ad Ecclesiam seu ad eos qui sunt in ea justi, apta sententia. Ad ecclesiam, seu ad eos qui sunt in ea justi, applicari sententia potest, ut in hac vita separari petat à malorum consortio, & imitatione, ne cum iisdem in futuro judicio connumerentur.

Judica me Domine.) Græcè, *Judica mihi*, κρῖνόν μοι qui Dativus innuit pertinere ad Deum intendere judicio, & caussæ ipsius c.
c Ps.34.24. Variam *judicandi* notionem alibi declaravimus. Basilius homilia in Psalmum septimum de ea disserens, hujus loci testimonio probat illam, qua *probare* significat, idest, examinare, quoniam inquit subditur: *Proba me Domine, & tenta me.* In emendatis codicibus est κρῖνόν με, notaturque in Scholio Græco, quod in hexaplo apud Septuaginta, & ceteros omnes interpretes ita habetur. Sed videtur Hesychius legisse μοὶ, nam docet, hoc verbum, quando significat *condemnare*, casum Accusandi postulare, quum *jus dicere*, ac disceptare, Dativum. Tum explicat Κρῖνόν μοὶ Κύριε. *Judica mihi Domine*, idest, Inter me & Babylonios &c. Ita quoque Apollinarius legisse se indicat, quum sic exponit:

Ἡμετέρῃ δικάσειας ἄναξ ἀγχιόφρονι θυμῷ.
Nostro dijudices rex miti animo.

d v. ult. In Psalmo nono d *judicare pupillo, & humili*, est, in favorem illius.

Dici præterea potest idem esse hoc loco *judica me*, vel *mihi*, atque, pro me sententiam feras: reddit enim caussam: *quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Hoc sibi vult & illud e: *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem*, nempè Diabolum, qui hoc significat. Item: *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* f.
e Ps.70.4. f Joan.12.31.

Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.) Hieronymus: *Qua ego in simplicitate mea ambulavi.* Græci, mansuetudinem, patientiam, animum à nocendo alienum interpretantur, quem, ut dixi, vocat Apollinarius ἀγανόφρονα θυμόν, & LXX. ἀκακίαν. Aquila reddidit ἐν ἁπλότητι, *in simplicitate.* Symmachus ἀμωμήτως, *in puritate à maculis.* Referuntur eodem cuncta, ut significet se nihil mali vel cogitasse, vel fecisse contra persecutores: unde meritò, tamquam aliquam maculam, quod ad hoc pertinet, notatus reprehendi potuerit. Patitur omnes istas cogitationes Hebræa vox תום *thom*, de qua aliàs. Non intelligit de omni absolutaque innocentia, sed eo quem dixi modo, sicut & aliis supra locis D nonnullis. Repetitur eadem sententia verbis iisdem versu undecimo.

Phrases Scripturæ. *Ingredi*, vel *ambulare*, à corpore transfertur ad animum. Quum autem dicitur quis *ingredi* vel *ambulare in aliqua re*, morem consuetudinemque ejus denotamus. Sic dictum Abrahæ his ipsis verbis quæ sunt hoc loco
g Gen.17.1. g, *Ambula coram me, & esto perfectus*: qui aliter Lati-
h Job.1.1. cap.2.3. nè *simplex* vocatur h: ubi Hebraicè item תם *tham*, quem rectè quoque appellaveris *sanum, integrum.* De usu
i Act.9.31. istius phrasis, videlicet *ambulandi in innocentia*, in timore, in charitate, & similibus egi alibi i.

Et in Domino sperans non infirmabor.) Hieron. *& in Domino confidens non deficiam*, ex Hebræo לא אמעד *lo emhhad, non nutabo*, non vacillabo, non labar, idest spe non excidam: potestque futurum esse pro præsenti, & est elegans litterarum transpositio in מעד *mahhad* & עמד *hhamad*: hoc enim significat *stare firmiter*, subsistere, consistere, unde עמוד *hhamud statua, & columna.* In Psalmo decimo septimo k. Non sunt infirmata vestigia לא מעדו *lo mahaddu.* Rectè spem Paulus l *anchoram* nominavit *animæ tutam, ac firmam* ἄγκυραν ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν. Spem alibi locans similis est innitenti super baculum arundineum confractum, qui intrabit in manum, & perforabit eam m. *Dens putridus*, ait Sapiens n, *& pes lassus* (Hebraicè *dens* רעה *rohhah malus*, aut *confractus*: *pes* מועדת *muhhadeth, lapsus, vacillans*, &c: *quisperat super infideli in die angustiæ, & amittit pallium in die frigoris.* Denique ne plura. *Maledictus homo, qui ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myrica in deserto* o, &c. Ergo de te dicit, quòd quia spera in Domino, non infirmabitur ab hostibus, nec hi prævalebunt. Vel sicut cœpit, vel in spe perseverare semper, constanter, firmiter, sicut & Job p. *Donec*, inquit, *deficiam, non recedam ab innocentia mea.* In emendatis libris, & in VI. editione οὐ μὴ σαλευθῶ. In Complutensibus, Regiis, & aliis, οὐ μὴ ἀσθενήσω vel οὐκ: Aquila οὐκ ἀσθενήσω: Symmachus: οὐ περιτραπήσομαι. Primum est, *non vacillabo*: secundum, *non infirmabor*: tertium, *non deficiam*: quartum, *non circumvertar.* Augustinus legit (non movebor.)

k vers.37. l Heb.6.19. m Isa.36.6. n Prov.25.19. o Jer.17.5.6. p c.27.5.

Vers. 2.) Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos, & cor meum.

INnocentiæ meæ, in qua me ingressum dixi, te ipsum Deus qui falli, aut fallere non vales, appello testem Non egeo probatione, ac tentatione apud omnia noscentem: peto ut notam facias aliis, quam solus vides, innocentiam meam, ita ut desinant inimici tot me calumniis, onerare, ac persequi. Mihi etiam hujusmodi mei ipsius notitia necessaria, *ut sciam quid desit mihi* q. *Proba me**, *& scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in vita æterna.* Falli C possum, & *etiamsi simplex fuero*, hoc ipsum ignorare potest *anima mea* r. Intimas perspicis apparitiones, cogitationesque, ac tanta videris diligentia explorare, quanta in probando & examinando auro solet adhiberi. Effice, ut sim adversariis, mihique ipsi benè notatus. Scis ipse præterea (hoc Athanasius addit) ex cognitione intima profundorum meorum me in te solo confidere.

q Psal.38.5. 7. Psal.138.23.24. r Job.9.11.

Tertia expositio Latinorum multorum atque etiam Athanasii, ut Deus renes, corque purget, Spiritus sancti, vel verbi divini, vel tentationum igni. Gregorius s ultimam sequitur, & explicat: *Proba me*, idest, Priùs vires inspice: *& tenta me*, hoc est, tunc, ut ferre valeam, tentari permitte *Ure* t *renes meos*, idest, voluntatem libidinis, quæ ibi sedem habet. Hoc ultimum de *ustione renum* placet Hieron. u docenti, Deum ista de caussa non semel à Prophetis appellari *conflatorem* x: illud item aliud de probatione, ac tentatione per tribulationes y. Augustinus z idem tradit, docetque: Hoc petere justum quod timere debere videretur: non quia idoneum se judicet viribus suis ignem sustinere tentationis, sed quód hic posteà subditur quoniam misericordia Dei ante oculos ipsius sit.

s 2.Mor.c.7. vel 11. & l.7.c.7. t Hom.22.in Evang. u In c.22. Ezech. x Ezech.22.20. Isa.4.4. Malach.3.3 y Apud Hier. Tom. Ser.9.Ep.6. z Serm.254 de Temp.c.4

Aptior ad litteram sensus primus, cui & secundus congruit. Non vellet probari, ait Ambrosius a, si in se crimen agnosceret, nec tentari si passionibus gravibus se sciret obnoxium. Liber à peccato, Deo se cupidus offerebat. Idem b, necnon & Augustinus c, hunc applicant locum ad flammas Laurentii: licèt idem utrique de illo sermo tribuatur. Si de solo mundi igne, inquit, sive primus, sive secundus, loqueretur, sufficeret renes tantùm exurendos incendiis obtulisse. Cor autem nisi flamma Christi non urit, &c. atque ideò ad comprobandam devotionem suam geminum sibi ignem postulat, ut luctamine habito ostendat in se plus posse amorem Christi, quam pœnam tyranni.

a In Ps.118 Serm.8. b Serm.17. qui est de S. Laurentio. c Serm.39 de Sanctis

Proba me Domine, & tenta me.) Vim habent cum Hebræa בחן *bachan*, & נסה *nasah*, tum Græca δοκιμάζειν, & πυρᾶν aut πυράζειν, quamvis interdum confundantur, nec, ut aliqui volunt, primum ad præterita, secundum pertinet ad futura. *Tentat utili Deus, non noxia, tentatione, quippe intentator malorum* d, ut Augustinus

d Jac.1.13.

a De bono perseverant. cap.6. stinus a docet. *Tentat, ut coronet, Diabolus, ut subruat*, inquit Ambrosius b. Notat priùs probatum Abrahamum, quàm tentatum, ne si antè tentaret, quàm probasset, gravaret: & probatum, quasi fortiorem tentandum putavisse majoribus quibusdam imperiis & durioribus. Hoc Gregorium quoque de præcedente tentatione probatione docuisse dixi: qui præterea c, & Augustinus d, & Chrysostomus e, hæc ut a Deo fiunt, accipiunt, propter notitiam quam nobis de nobis, vel aliis, communicat. Quæstionem illam alias tractavi, quo pacto doceamur orare, ne nos inducat Deus *in tentationem* f, & ne in illam intremus g, & vereantur etiam spirituales tentari h, & tamen petat nunc David probari ac tentari, & alibi *In tentationem induci*, est ab ea vinci: *tentari*, tantum est eam vincere, & cum eadem proventum facere k, ut in habitet magis virtus Christi l: & qui sic infirmatur, hoc ipso potens fiat m.

b 1.de Abraham.c.8. c 23.Moral. c.1 l.7.Ep. ep.41. d lib.cont. Ser.Arian. c.25.3.de Tri cap.11. e In 2.ad Cor.Hom.3. f Mat.6.13. g cap.26.41. h Gal.6.1. . Ps.138.211 In tentationem induci, & tentari quid sit. k 1 Cor.10.13. l 2.Cor.12.10. m Ibid.9. n 14.de Civ. cap.9.

Copiosè differit Augustinus n de variis perturbationibus quarum affectus rectus habet vita Justorum. Ait ac hujus loci verba esse viri fortis, qui ad civitatem Dei pertineat, quique scilicet, quamvis testimonium ei B perhibente conscientia, se Deo notum & acceptum benè confidat: cognosci, atque pleniùs & evidentiùs probari, ut Ambrosius scribit, desiderat. Egi præterea de commodis tentationis, & quid sit Dominum tentari à nobis, quid nos à Diabolo quum exponere Evangelium Dominicæ primæ Quadragesimæ. Hugo quoque Cardinalis nonnihil eadem de re hic differit. Cyrillus o ait convenire hunc locum cuivis in Christum credenti, & Evangelio convenienter vivere cupienti. Idem p, agens de argenteis quos lucratus est Judas, missique sunt jussu Dei εἰς τὸ χωνευτήριον, *in conflatorium* q, & exponit de Christianis probandis & examinandis: quòd confirmat Malachiæ r Paulique s testimonio, confirmat etiam præsenti loco: & Ecclesiam cujusque mores ac sinceritatem dilectionis erga Christum explorare: & cùm discretionem habeat spirituum, probè nosse quis sit verus adorator t, quis in spiritu sancto loquatur Dominum Jesum u, quis in Beelzebub ipsum anathema dicat; quis lupus in vestimentis ovium ad nos veniens x.

o in Zach.n.82. p Ibid c.11. q Zach.11. r cap.3. s 1.Cor.3. t Joan.4. u 2.Cor 12. x Mat.7.

Vre renes meos, & cor meum.) De renum, cordisque C figurato usu dixi Psalmo septimo y. *Vrendi* etiam verbum Hebræum צרף *tsaraph* declaravi in undecimo z.

y vers.10. z vers.7.

Vers. 3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.

IDcircò probari, ac tentari à Deo, & igne etiam examinari non timet, quia non invenitur in ipso iniquitas a, sed testimonium quoque bonum reddit conscientia illius. Hoc est *ambulare per vias Domini*: quia omnes ejus viæ, ut priore vidimus Psalmo b, *Misericordia, & Veritas*, Misericordiam semper Dei attendit, qua se in omni tribulatione sustentaret, nihil verens ignem probationis, & tentationis. & imitando misericordem Deum, illam exerceret in Proximum. Veritate simul justitiave delectatus est, ut abstineret ab omni peccato, cuius vindex Deus, nec alium ulla læderet injuria: vel ut sese recrearet cogitatione constantis veritatis Dei in promissis suis, quibus inter alia promisit se D adjutorem futurum in tribulatione c, nec permissurum nos tentari supra id quod possumus d, ipse verò vicissim tùm eidem, tùm proximo fideliter præstaret quæ promisisset: vel postremò propter misericordiam Dei erga se, ipsi studeret verè, ac non simulatè placere. Hoc ultimum Didymi est, Eusebii & Origenis. Addit hic & Cassiodorus, veritatem Dei esse Christum qui sese *veritatem* nominavit e. Nicephorus, & Euthymius *complacentiam* interpretantur de legis, atque scripturæ divinæ lectione, ac meditatione, quæ cum voluptate summam affert utilitatem, contra res adversas. Hugo de S. Victore exponit sic præ oculis habere misericordiam, ut placeat etiam divina correctio, seque ipsemet in veritate coram Deo reprehendat, à cuius proficisci misericordia sciat veritatem, qua ipsum corrigit.

a Ps.16.3. b Psal.24.10. c Ps.90.15. d 1.Cor 10.13. e Joan.14.6.

Misericordia tua ante oculos meos est,) Hoc veluti speculum vocat Auctor libri de Spiritu, & Anima f, in quo miseriam nostram contemplamur. Sic etiam Cherubim respiciebant propitiatorium g: quoniam qui divina præstat scientia, divinæ memor est misericordiæ: &, *Qui addit scientiam* (Dei practicam) *addit & laborem* sive dolorem h, idest, sympathiam adversus alios, & adversus animam propriam veram compunctionem. *Miserationum Domini*, ait Isaias i, *recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit mihi Dominus. Habere aliquid in oculis*, est, suaviter & gratè meminisse, atque custodire. In Psalmo LXXI. k quod legimus: *Honorabile nomen eorum coram illo*, Hieron. vertit ex Hebræo, *Pretiosus erit sanguis eorum coram oculis ejus*: qua etiam versione, quæ Græcè est Aquilæ. Τιμωθήσεται τὸ αἷμα αὐτῶν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ utitur Epiphanius, etsi *nomen* legat, non *sanguinem*.

f cap.52.& 53. apud August. Tom. g Ex.25.20. h Eccl.1.18. i cap.63.7. k vers.14.

Complacui in veritate tua.) *Veritas* hic quid valeat, antè dixi. Maximè valet in promissis constantiam, quæ delectabat valdè Davidem, certum, quòd quæ misericorditer promisisset Deus, omninò servaret. *Complacere* autem *in aliqua re*, & *ante oculos habere*, synonyma videri possunt. Quamquam Hieronym. reddit, *ambulabo*, vertens præteritum התהלכתי *hithhallachthi* in futurum, quod verbum propriè significat *seipsum ambulare facere*, certam sibi ambulationem, & consuetudinem proponere, ac imperare. Quidam supplent *tibi, complacui tibi in veritate tua.* Fortasse meliùs: *Complacui mihi*, idest, placuit mihi veritas tua. Apollinarius.

Καὶ σῇ ἀληθείῃ θυμῷ καταθύμιος αἰεί
Et tua veritate factus sum jucundus semper.

Incredibiles voluptates, ex veritatis cognitione sunt, & theoreticæ, & practicæ: *Majorem horum habere se gratiam* Joanes l negabat, *quam ut audiret filios suos in veritate ambulare.* Veritatem diligit Deus m, tum in seipso, tùm in nobis, immò quia illam cum misericordia diligit, gratiam quoque, & gloriam dat n. Delectat veritas in genere sumpta, quia perfectam quamdam harmonicam proportionem, æquabilitatem, atque similitudinem dicit, etiam inter res alioqui inæquales, dissimilesque. *Incomparabiliter pulchrior*, ait Augustinus o, *veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro ista* C *enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa mille Heroes adversus Trojam dimicaverunt.* Idem p rectè monet, *veritatem incommutabilem* non posse dici *meam*, vel *tuam*, vel *cujus quam hominis*, sed *communem*: *nullas in ea angustias, nullos in ea defectus esse, omnes amatores, nullo modo sibi invidos recipere, omnibus communem esse, singulis castam: illius pulchritudinem nec multitudine audientium constipatam secludere venientes, nec peragi tempore, nec migrare locis, nec nocte intercipi, nec umbra intercludi, nec sensibus corporis subjacere.*

l Ep.3.vers.4. m Ps.83.12. n Ibidem. o Epist.9. p 2.De lib. arb.cap.12. & 14.

Profectò nullus est, qui naturaliter scire non desideret, nemo cui non invisa ignorantia, error, falsitas. Tunc displicet, & odium parit, quando severiùs nos tangit, & inimici fiunt nobis, qui verum dicunt nobis q, & si sincera, sit ut esse debet, quasique azyma r, lactucas simul amaras habeat. Oritur hoc ipsum odium ex ingenti amore: odit enim quis eum qui deducere vult id, quod pro comperto, planeque verò habuit. Egregiè, & omnino verè August. s: *Cur veritas parit odium, & inimicus eis factus est, homo tuus, verum prædicans* sive Christus, D sive quoque Paulus) *quum ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate: nisi quia sic amatur veritas, ut quicumque aliud amant, velint esse veritatem: & quia falli nolunt, nolunt convinci: quòd falsi sint? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant, Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem.* Veritatis David noster suavi concentu delectatus, confitebatur eam in vasis Psalmi t. Cibus est, panisque vitæ, & intellectus u, scutum x, libertas y, dux in via z, exaltatio a. Hugo denique Victorinus hoc appellat eleganter dictum laudabiliter dictum, dictum imitatione dignissimum. Ricardus autem: cui cognomen idem, *complacere in veritate Dei* explicat, non de se ipso præsumere, sed de promissis Dei. Philosophos gentium virtutem colere (nempe aliquo modo) vera non credere: malos Christianos fidem habere, sed non opera ejus: neutros complacere in veritate.

q Gal.4.16. r 1.Cor.5.8. s 10 Confess. cap.23. t Ps.70.22. u Eccl.15.3. x Ps.90.5. y Joan.8.32. z Ps.42.3. a Ps.88.43.

Vers.

Vers. 4.) Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus, non introibo.

Vers. 5.) Odivi ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo.

TAmetsi exulare compulsus fuerim persequente me Saule apud regem Philistæorum, abstinui semper ab idololatrarum profanis conventibus in sua templa, colentium vanos Deos, ac eorum falsas imagines: atque per summam iniquitatem denegantium Deo vero cultum, creaturis autem tribuentium. Hæc est Ecclesia malignantium, & impiorum, quos execror, quibuscum versari nolo. Favet huic expositioni, quæ est Basil. Theodoreti, Euthym. quod subjicit deinceps de dilecto à se decore domus Dei, circumdando altari ejus, benedicendo ipsum in Ecclesiis, i. e. religiosis coitionibus.

Attamen possunt hæc extendi, ut reliqui faciunt Enarratores, ad vitatas omnium improborum sodalitates. Athanas. *a* præterea sive alius ad Antiochum (citat enim Auctor posteriores Athanasio Auctores, ut quæstione 130. Gregorium Theologum) locum præsentem adducit; ut exponat quid sibi velit *fermento modicum massam totam corrumpi b*. Declarat Ambrosius *c* eodem modo, tractans primum Psalmi primi versum: *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum*, &c. aliis item locis *d* tam amplè accipit istam sententiam. Sed & Augustinus *e*, docens, intra Ecclesiam malos esse, quos oporteat tolerare, & confirmans exemplo Davidis erga Saulem, quem etiam tantum venerabatur, ut amplius omninò non posset; sic refellens Donatistas schismaticos abutentes Scriptura istius Psalmi; tum in his, tum in sequentibus versibus. Ridet porrò eosdem in Breviculo. Collationum cum ipsis *f* propter ista verba detrectantes sedere cum Catholicis in consessu, quum nec intrare debuissent, si toti sententiæ obedire voluissent.

Eadem Tertulliani *g* expositio, sed prave etiam detorquet ad errorem suum, quo mœchos excludit penitus ab Ecclesia. Cyprianus, vel Ruffinus *h* varias Hæreticorum Ecclesias hic designari putat. Cyrillus Hierosolymitanus *i* ait prædici exscindendam Synagogam; per ea, verò quæ subduntur multiplicandas orbe toto Christi Ecclesias.

De vitando improborum consortio dictum Psalmo primo, quòd non solùm Deus conceptis verbis canit *k*, sed, ut Eusebius *l* quoque notat, sub typo immundorum animalium *m*. Ricardus Victorinus, vanitate, iniquitate, malignitate, impietate cunctos modos vitiorum comprehendi docet, quos contemnere, odisse, damnare, execrari oporteat. Curis carnis incumbere vanum; in mundi gloria ceteros velle præire iniquum: inimicitias in proximos exercere, malignum: contra Creatorem suum superbè insolescere, impium esse: ad primum; gulam & luxuriam pertinere, avaritiam, ad secundùm: iracundiam & invidiam, ad tertium: ad ultimum, superbiam & acediam. Tam subtiliter porrò, ac piè de his disserit, ut vehementer perlegi suadeam.

Non sedi cum concilio vanitatis.) *Sedere*, est versari, manere, habitare: *Concilium* potiùs, quàm *consilium* dici (etsi utrumvis idem esse docui eodem Psalmo 1.) exigit vox *συνέδριον* Telesphorus Papa *n* cujus mihi suspectæ epistolæ inter alia, propterea quod citat Psalmos ex versione Hieron. & Hieronymus legit: *Non sedi quum viris vanitatis*, quod Hebræa sonant עם מתי שוא *hhim methe schau*: Chald. cum viris mendacii שקרא *schikra*. August. in eodem illo Breviculo, *In concilio impiorum*. Tertull. *o*, pro *concilio* habet *consessum*, propriè *methe* sunt mortales, de qua voce jam antea dictum.

Benè convenit Idololatris appellatio *concilii*, seu *consessus vanitatis*, quamvis extensior queat esse sententiæ significatio, & Arias nugaces intelligat, desides, otiosos, ludicris ac vanis deditos: Euthym. qui ad fabulosa colloquia conveniunt: ceteri, qui sectentur res perituras, alii, qui mendacia, dolosque struant contra alios: nam *vanitates*, *Idola* in Mosis cantico *p* nominantur: *Ipsi me provocaverunt in vanitatibus suis*. Samuel *q*, *Nolite*, inquit, *declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt*. *Vanitates* item idola locis aliis appellantur *r*. Jeremias *s* inducit lamentatem Deum: *Quid invenerunt patres vestri in me ini-*

a Quæst. 132. b 1. Cor. 5. 6. c in Psal. 1. d in cult. Ep. ad Rom. & Epist. 25. ad Eccles. Vercell. ex edit. Rom. e 3. con. Ep. Parmen. c. 4 & 5. Donatistæ abutentes Scriptura istius Psalmi. f cap. 1. & 9. Tertulliani error notatus. g lib. de Pudicitia c. 18. h In Symbolum. i Catech. 18. k Exod. 34. 12. & seq. Num 26 10. Deut. 1. & seq. l 8. de Prap. evang. m Lev. 11. 4. & seq. Deut. 14. 12. & seq. n Epist. 2. Telesphori Papæ suspecta epistola. o De Pudicit. cap. 18. Vanitates pro Idolis dictæ. p Deut. 32. 21. q 1. Reg. 12. 21. r 3. Reg. 16. 13. lib. 4. 17. 15. s Jerem. 2. 5.

quitatis, quia elongaverunt à me; & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt? Quare t ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis? Idem sibi vult illud Psalmi trigesimi *u Odisti observantes vanitates supervacuè*, & trigesimi noni *x*: *Non respexit in vanitates & insanias falsas*. Tandem Jonas *y*: *Qui custodiunt vanitates, frustra misericordiam suam derelinquunt*. Paulus *z* verò scribit *Idolum nihil esse in mundo*. Alias notiones lege Psalmo quarto *a*. Citatis autem locis ex vetere Testam. nunc est הבל *hevel* propriè vanitas, *b* nunc תהו *thohu*, *inanitas c*.

Et cum iniqua gerentibus non introibo.) Telesphorus *d*, & Hieron. (Cum superbis non ingrediar.) August. *e*, *cum facinorosis*. Alii, *Cum occultantibus se*. Hebraicè: נעלמים *nahhalamim*, occultati, aut occultantes se sunt. Addit Chald. *ad male agendum* לאבאשא *Leauascha*, qui quærunt latebras, & simulatores, fucatique sunt, ut noceant. Qui satis habent videri, justi; tametsi nullus in eis, ut ait Plato *f*, justitiæ affectus existat.

Qui g Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

Significat præterea dictio Hebræa *pueriliter ludentes* (quia עלם *hhelem puer* est,) & עלמה *hhalmah puellam absconditam*, ac *virginem*. Omnis improbus puer sensu est, ac ludio, nebulo, tenebrio, oditque lumen qui male agit *h*, & volunt maximè pueri latere peccando, atque fallere, ut Mitio testatur *i*, Æsquinum filium, nec quid se celaret, assuefaciens. Idololatræ tanquam pueri configunt ex argilla, aliave vili materia deos suos, & idololatriam lusum à Mose illis verbis denotari volunt *k*: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Sic sanè Paulus *l* exposuisse videtur, aut certè post sacrum epulum ludos item sacros intellexit, qui erant valdè obscœni.

Odivi Ecclesiam malignantium,) Telesphorus, *m* & Hieron. *pessimorum*, Augustin. vel Parmenianus *n*: *Odio habui curiam nequissimorum* i Hilarius *o*: *Odio habui congregationem malignorum*. *Malignantes παρανομοῦντες* מרעים *Merabhim* sunt quilibet scelerati, præsertim noxii, & alios malo quopiam afficientes.

Benè colligit Ambrosius *p Ecclesias Christi* meritò salutari ab Apostolis, quòd aliæ sint, quæ non sunt Christi, sed conspirationes iniquorum. Hoc aliàs monuimus de vocis *Ecclesia* media, indifferentique significatione, quamvis absolutè posita (excepto uno loco Actuum) *q* meliorem in partem pro Orthodoxa & Catholica sumatur, lege Augst. *r*, Isidorum *s*, Bedam *t*. Idem Ambros. *u* legens, *Odio habui congregationem malignantium*, docet *malignum esse*, ab injusto nihil distare. Argumentatur quoque; *malignantem*, ac *malignum* esse posse etiam, qui dolum dolo ulciscatur, fraudem referat fraudibus, improbitatem repellat improbitate, omnes hac sententia comprehendi, nullum excipi, malignitatem damnari, non caussam interrogari, propterea diligendos inimicos. Attamen idem David testis de se, quòd inimicos odio habuerit *x*, & oderit odientes Deum, idque odio perfecto, ac eos habendo pro inimicis *, videlicet iniquitatem detestando, sicque peccatores interficiendo *y*, naturam iniquitate illa contaminatam diligendo, sicut ægrum diligit medicus, à quo dispellit ægritudinem. Legendus Gregor. *z*, Ambros. Ansbert. *a*, Basil. *b*. Hic expendit illud ex Psalmo centesimo *c*: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*: non ita, ut sonat, intelligi, aut fieri potuisse, sed de propriis malis in uno quolibet cogitationibus suis. Hanc appellat Joannes *d* Synagogam Satanæ, non Judæos, veros, & secundùm Spiritum: Auctor Ecclesiastici, *e* synagogam peccantium similem stuppæ collectæ, quæ nimirum statim consumitur adhibito igne. Consummatio namque illorum, inquit, flamma ignis. Laudat idem Joannes *f* Ephesi Angelum, quia non poterat sustinere malos, & mendaces Apostolos, & quòd odisset facta Nicolaitarum, quæ & ipse odio haberet. Proprium, ac solemne hoc virorum bonorum, non posse malos ferre. Exemplo sunt Elias *g*, Mathathias *h*, Phinees *, Moses *i* cum Davide nostro. Hæreticos nullo modo ferens laudatus est ille Angelus Ephesi *k*, ut annotat Ambrosius *l*: in incommodantem publicè Evangelio per falsam doctrinam, Paulus *m* Flymam; per pravum exemplum peccantes in Ananiam, & Sapphiram graviter Petrus animadvertit *n*, ut ipsi in Apo-

t cap. 8. 19. u vers. 7. x vers. 5. y cap. 9. z 1. Cor. 8. 4. a vers. 3. b Deut. 32. 21. & alibi c 1. Reg. 12. 21. d Epist. 2. e Cont. Epist. Parmen. c. 4 & 5. f 6. de Rep. g Juv. Sat. 2. h Joan. 3. 20. i Teren. in Adelphis Act. 1. Sc. 1. k Exod. 32. 6 l 1. Cor. 10. 7. m Supra. n Supra. o In Ps. 57. p In cap. ult. ep. ad Rom. 16. Eccles. vox indifferentis significationis absolute posita meliorem in partem plerumque usurpata. q v. 31. 39. 40. r in Ps. 81. 1. s 8. Etym. c. 1. t in c. 5. Prov. u ep. 25. edit. Ro. Malignans, malignus quid significent. x Ps. 118. 113. * Ps. 138. 22. y Ps. 100. 8. z 3. Pa Pastoralis cap. 23. a in c. 2. Apocalyps. b in c. 5. Isa. c vers. 8 Locus Psalmi centesimi expositus. d Apoc. 2. 2. e c. 21. & seq. f c. 2. & seq. Proprium ac solemne virorum bonorum non posse malos ferre. g 3. Reg. 19. 10. 14. Eccl. 48 1 & seq. h 1. Machab. 2. 23. & seq. * Num 25. 8 i Exod. 32. 19. & seq. k Apoc. 2. 7. l Ibidem. m Act. 13. 6. & seq n c. 5. & seq.

Apostolicæ historiæ Commentario demonstravimus. Adde Corinthium incestuosum *a*, & alios, quos idem Paulus tradidit Satanæ *a*. Privata aliorum vitia, domesticasque injurias tolerare laudabile est, maximè si corrigere non liceat: qua de re Gellius *c* memorat Varronis de uxore apophthegma, & Socratis præterea exemplum. Certè idem Ephesinus Episcopus, ita non poterat sustinere malos, nempe Pseudo apostolos, & Nicolaitas, ut à patientia simul mirificè commendetur *d*. Disputat opere proprio Lucifer de non parcendo in Deum delinquentibus: eodemque de argumento Cyprian. *e*, Hieron. *f*, Bernardus, Chrysost. *g*.

a 1. Cor. 5. 4. 5 b 1. Tim. 1. 20 c lib. 1. c. 17. d lib. 1. c. 17. e Apoc. 2. 13 f De exhorta martyr c. 5. g epist. ad Riparium.

Vers. 6.) Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.

SIc ait odisse se Infidelium conventicula, Idolatriarum præsertim, & inter quos exul, profugusve versabatur, ut summoperè desideraverit inter alias, ob hanc potissimùm caussam redire in patriam, ut honore prosequeretur, quemadmodum piis erat in more, tabernaculum, priùsquam id intraret, manus abluendo, atque cum psallentibus altare circumeundo: verum de his ritibus agendum separatim.

Lavabo inter innocentes manus meas.) Telesphorus *h*, & Hieron. *In innocentia*, Aquila ἐν ἀθωότητι quod LXX. ἐν ἀθώοις. Tertull. *i*, *cum innocentibus*. Chald. *Sanctificabo* אקדש *akdesch*. Lotio manuum una ante cibum usitata *k*: quod factitabant etiam Gentiles ante convivium, velut ante rem sacram; unde illud, ἀνίπτοις χερσὶν, *illotis manibus*. Titelmanus arbitratur, ad litteram de hac lotione Davidem loqui, quòd nempe quum Justis convivaretur, & conviveret. Sed præter istum modum, qui non adeò probabilis videtur, lotio hæc eadem, vel politicè sumitur, ad innocentiam declarandam, ut quum eam Pilatus in sententia pronuntianda contra Christum usurpavit *l*, vulgòque, dicimus, quando noluimus alicui negotio, in quo si peccandi periculum, interesse: *Io me ne lavo le mani*, vel religiosè ante tractationem rerum sacrarum, ut hostiarum, & oblationum, quæ vocat Apostolus *m* varia baptismata, justitiasque carnis.

Theodoretus, ac Euthym. amplectuntur sensum secundum, allato illo exemplo Pilati, exponenteisque significare Davidem innocentiam suam. Id innuit etiam Hieron. *n* in Malachiam. Differit satis copiosè de hoc ritu Gretserus *o* noster, manus inter jurandum, & sententiam mortis dicendum, abluendæ, juxta tum Gentilium tum Judæorum consuetudinem, simulque de expiatione per aquas, M. Antonius Marsilius columna *p*, & de manuum lotione sacerdotum nostrorum Joannes Stephanus Durantus *q*. Persuadebant sibi Gentiles puros se ab omni scelere, præsertim à cæde esse, si manus, & aliquando totum corpus abluerent aqua. Testes Tertullianus *r*, Arnobius *s*, Lactantius *t*. Pro involuntaria cæde lustrationem fuisse, meminit Dionysius Halicarnasseus *u*. Præscribit quoque Deuteronomii *x* liber ablutionem religiosam manuum in cautionem super homicidio occulto: & prodit de Mario Plutarchus *y* quòd vota Diis fecit, Νιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ πρὸς οὐρανὸν ἀνασχών: *lavans manus, & ad cœlum levans*,

Ego, ait *z* ille, *nisi quid me vis eo lavatum*,
Ut sacrificem; &c.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam.

Sed omissis Gentilibus, quos Pilatus *a* an sit secutus, vel Judæos, quod contendit Origenes *b*, non adhuc habeo certum, nil item dicendo de Turcis, quos refert Bartholomæus Georgius *c*, lavari, antequam ingrediantur eò, ubi orant, recitat Genebrardus, Rabbi Levi *d* sententiam, solitos Hebræos accedere ad sacra, lotis aqua viva, & incorrupta manibus, pedibusque quam nominabant קדוש ידים ורגלים *kiddus jadaim veraglaim*, *sanctificationem manuum*, & *pedum*, sicut corporis totius טבילה *tevilah*, *balneationem*. In Exodo *e* mentio est labii ænei inter tabernaculum testimonii, & altare, confecti ex speculis mulierum excubantium ante ostium tabernaculi, in quo Sacerdotes ingressuri tabernaculum, & accessuri ad altare, ad offerendum thymiama, lavabant manus, ac pedes. Aristeus *f* pro-

h Epist. 158. i Hom. 1. ad pop. k Epist. 2. l De pudicitia cap. 18. m Mat. 15. 2 Mat. 7. 2. Phrasis scripturæ. n Mat. 7. 2. o Heb. 6. 2. c. 9. 10 p in Mabach cap. 1. q 1. de Cruce, cap. 14. r Hydragiologia sect. 1. 6 s 2 de Ritib. Eccl. c. 28. t De Baptismo c 5. u 2. contr. Gentes. x lib. 5. c 20. Ablutio manuum ut usurpari solita. y lib. 3. z cap. 2. 6. 7. a In Mario. b in Aulula c Mat. 27. 18 d Tract. 15. in Mat. Turcarum lotio antequam ingrediantur eo ubi orant. e Proœm de Hist. Turcarum.

dit, interrogatus Judæos, quare post lotas manus, ex mari videlicet, vota facerent: respondisse, in testimonium nullius sceleris perpetrati, quia per manus solent conatus omnes expediri. Ex auctoribus prophanis alia colligit Joannes Bochius, cujus observationes in Psalmos ad me pervenerunt, quum meas absolvissem. Legatur quoque Brissonius in formulis. Nostri sacerdotes oblaturi sacrificium, præter ablutionem manuum dum se ad Missam parant, manus denuo lavant, ut omnes rituales libri meminerunt, & Clemens *g*, Dionys. *h*, Cyrillus *i* Jerosolym. (qui disertè in præsentem accipit locum.) Chrysost. *k* recitantque versum istum, & sequentes usque ad finem Psalmi. Notat Dionysius summos tantum, extremosque digitos lavari, quia jam à criminibus expiati, atque, ut Albertus *l* etiam dicit, non inter peccatores, sed inter innocentes, lavari debent à venialibus peccatorum reliquis, ab extremis, ut loquitur idem Dionysius, animi visionibus, à summis partibus, ab occultissimis cogitationibus, à tactu communium manuum, ut ait Halensis *m*, atque à terreno pane. Quamquam ritu Ambrosiano, Sacerdos immediatè ante consecrationem abluit manus. Cyrillus Jerosolymitanus *n* ait, Davidem mysteria tractantem sacra hæc nostra, sic locutum: & loquitur de Sacerdote in altari manus lavante.

Indicat Augustin. *o* laicos quoque sumpturos Eucharistiam lavisse prius manus, & mulieres nitida exhibuisse linteamina, ubi corpus Christi acciperent: videlicet, quia ipsimet eam suis manibus tangebant; ac domum deferebant. Scribit Chrysostomus *p*, Evangelium si capere oportuisset, lotis manibus, cum reverentia multa, & tremore Christianos id fecisse. Intelligit opinor de religioso Evangeliorum, inter jurandum, attactu. Ambrosius *q* quidem tradit, perjurum, ac infidum Maximum, quando Gratiano, quem postea obtruncavit, juravit, lavisse manus, quum Evangelium tangeret, sicut laverat Pilatus, damnando Christum, suas *r*. Eadem de re disputatum Psalmo XVII. *s*.

Verumtamen ut institutum repetamus, David suam contestatur innocentiam, seque quod aliis verbis idem valet, innocentem esse manibus *t*, &, quod fecisse alio canit Psalmo *u*, lavisse inter innocentes manus suas, paratum manus coram multitudine abluere; & si Sacerdos esset, eorum quoque ritu, qui sacra, loti tractabant, ac mundi: nam longiùs abesse ab iis criminalibus, quæ sibi objicerentur. Simul tædio affectus peregrinationis apud impios, optat religiosiùs Deum colore indicato, ac sacro loco, non minore animi quàm corporis munditia. Lavabant ceteri se usitato humore aquæ: justus, qui vexatur, sed tolerat, etiam in sanguine vexatorum suorum, lætus videns vindictam quam non ipse, sed pro ipso Deus reperietur *x*. Subinnuit hanc elegantem antithesin Hilarius *y*. Sic verò confidenter accedere ad Deum potest, eumque convenire, manus non plenas sanguine *z*, quia non reas, sed lotas in sanguine gerens *a*.

Circumdabo altare tuum.) Telesphorus *b*, & Hier. *Circuibo*. Nec sanè poterat totum simul circumdari, sed circumeundo. Non intelligo quid velit Tertull. *c*, cum hisce verbis annectit (*ut solus, plures.*)

Tradunt porrò Hebræi, temporis illius homines quotidiè solitos altare cum ramis virentibus circumdare. Cui opinioni favet *d* CXVI. Psalmus: *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris*. Idest, Lætitiam præferte publicè densis, ac virentibus ramis, ut quidam exponunt, dicentes eodem ritu exceptum in triumpho illo suo Christum *e*. Placet illud magis, ut denotet victimas, quibus undique volebat altare implere, atq; offerendo per Sacerdotes sacrificare, & ad quas, ut sequens innuit versus. Levitæ Psalmis, ac hymnis Deum laudabant, & cantores circum altare choros agebant. *Ut audiam vocem laudis* tuæ, inquit, *& enarrem universa mirabilia tua*, & Psalmo sequenti *f*: *Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: Cantabo & psalmum dicam Domino*, & in Psalmo XLI. *g*. *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei: In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis*: in XXI. *h*. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*, in CXV. *i Vota mea reddam coram omni populo ejus, in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini*: in XLII. *k*. *Introibo ad altare Dei: confitebor tibi in cythara*, nam quod ipso petente, ac procuran-

f In cap. 16. Levitici. Lotio Hebræorum. g cap. 30 18. 19. 20. c. 38 8 g lib. de Sept Interp Judæi, post lotas manus cur vota facerent, interrogati. h 8. Const. c. 11. i Eccl. Hierar. cap. 5. k Catech. 5. l Hom. 61. ad popul. Summitatis tantum & extremitatis digitorū lotio. m lib. de Missa. n 4. p. q. 32. memb. 5. & 6 o Catech. 5. mystag. p Hom. 244. de Temp. & 252. q Hom. 7. ad populum. In Evangelio capiēdo reverentia. Religiosus Evangeliorum inter jurandum attactus. r in Ps. 61. A maximo perjuro manuum lotio s Mat. 27. 18 t vers. 21. u Ps. 25. x Ps. 72. 15. y Ps. 17 21. Ps. 57. 11. & seq. z in Ps. 57. a Isa. 1. 16. b Ps. 57. 11. c Ep. 2. d De Pudic. cap. 18. e vers. 26. f Mat. 21. 8 & seq. g vers. 6. h vers. 5. i vers. 26. K v. 14. 18.

curante, faciebant ministri sacri, censebatur ipsemet facere, a qui per seipsum, laicus, non poterat. Sic quoque Jonas vovens dixit: *Ego autem in voce laudis immolabo tibi; quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.*

a Jonæ 2. 10.

Euthymius docet, quod Propheta noster ob innocentiam suam hostiarum, ac ministrorum multitudine prædicit se altare circumdaturum. Hæc porrò annotatio Thalmudicorum, quædam fuisse Sancta Sanctorum, quibus præscriptus erat certus locus, tempus, ritus solemnior; alia קלים *kallim*, levia, quæ poterant celebrari extra templum, ut agnus: nonnulla, quæ vocabant *toda*, quorum non adeò religiosa observatio erat, non definitum tempus, aut locus. Videri possit utcumque, & ad propositum spectare ritus novendialis, quo Catholici etiam utuntur, sed alius à Gentilitio, & a sacris novendialibus, quæ Græcè, ἔννατα, & ab Augustino b damnantur, ut si nempè pro defunctis nostris, ad imitationem Gentilium superstitiosè lugeamus novem dies. Lege de ritu profano Pontanum nostrum c, & de eodem, nostroque, Petrum Bongum d, & Turnebum e, & Lipsium f. Virgilius g meminit;

Thalmudicorum annotatio.
Ritus novendialis Catholicorum.
b Quæst. 172 in Gen.
c In 5 Æneid.
d De mysteriis numerorum, cum denario.
e lib. 24. c. 17
f Ad 6 Annal. Taciti.
g 9. Æneid.

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

& Justinianus in Novella quadam ait in nonum diem fieri μνήμας defunctorum.

Altare tuum.) Duplex fuit altare Thymiamatis, vestitum auro intra templi partem, quæ dicebatur היכל *hechal*, palatium, domusve exterior: & Holocausti, vel æneum, vel ære vestitum, intra Sacerdotum atrium, subdio, propter fumum & ignem. Disputant de his altaribus unà cum reliquo templo, Ribera h. Barradius i, Villalpandus k. De secundo David intelligit, *Altare* mysticè tot modis dicitur, quot templum, Nos ipsi sumus templum Dei *, sive Spiritus sancti, *Altare* cor, quod igne charitatis ardere semper debet l, & omni custodia servari m; aliud est Ecclesia, illius autem altare, aut Christus, de quo edimus n; aut fides: tertium Deus ipse o, & altare misericordia ipsius. Ad hunc modum Thomas, Hugo, Carthusianus, Aiguanus, qui olim incognitus. Hic altare cordis esse *terreum* docet, humilitate: *ligneum*, castitate, erat enim ex lignis incorruptibilibus: *æneum*, pietate, quoniam æs igni liquescit: *lapideum*, perseverantia: *aureum*, charitate: denique altaria *Domini virtutum* p, (abutitur vocabulo *virtutum*, quod est Hebraicè *Sabaoth*, idest, *exercituum*) esse ornamenta variarum virtutum in corde nostro.

Duplex Altare, Thymiamatis & Holocausti.
h 2. de Templo. c. 8. & 20
Altare Mysticè quot modis dicatur.
i Tom. 2. Concor. lib. 3 c. 17. & 32.
k Tom. 2. in Ezec. p. 2. lib 4. cap. 47 & seq. & c. 75. & seq.
* 1. Cor. 3. 16
2. Cor. 6. 19.
l Levit. 6. 12
m Prov. 4. 13
n Heb. 13. 10
o Apoc. 21. 22
p Exo. 15. 19

Vers. 7.) Ut audiam vocem laudis tuæ, & enarrem universa mirabilia tua.

HÆc altare circumdandi, templumque caussa frequentandi, ut choris immixtus canentium, vel exaudiens illos, attenderet ad ea, quæ de divinis canebantur laudibus, nec non quæ recitabantur per omne Sabbatum, aliumve statum diem ex divinis litteris: præterea, ut ad hoc ipsum operam suam conferret Psalmos condendo, & cantoribus canendos, atque recitandos tradendo: denique ut per eam occasionem, colloqueretur etiam de divinis attributis, & beneficiis. Testis August. in Confessionibus, quantam perciperet ex hujusmodi cantu solemni utilitatem.

Cantorum sortes, vicesve viginti quatuor instituit David, ut eorum una sors uni cantorum Sacerdotum sorti canendo ministraret, diurnò, nocturnoque tempore q, Principes illorum erant Asaph Gersonitarum, Heman Caathitarum, Idithun Meraritarum r.

Cantorum sortes viginti quatuor.
q Ps. 83.
Principes cantorum.
Locus Cantorum.

Locus, in quo cantabant, vel instrumenta musica pulsabant f (quod secundum Ezechias magis distinctè constituit) intra atrium Sacerdotum videtur fuisse. Ita sentit Abulensis s, & colligitur ex eo, quòd scribantur cantores ad Orientalem partem altaris holocaustorum stetisse, & cum eis Sacerdotes tubis canentes, quando arca in templum adducta est u. Existimat verò Arias, x in templo suggestum inter atrium populi, & Sacerdotum, constitutum: in quo Levitæ publicis instrumentis quotidianorum & solemnium sacrificiorum tempore canerent.

r 1 Paral. 25
f 2. Paral. 26 2 & seqq.
t 2. Paral. 5. qu. 36.
u 2. Paral. 5.
x lib. de Fabrica Templi

Eximia laus inter ceteros Christianos principes Theodosii junioris, & Magni Caroli. Theodosius primò diluculò cum sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitavit: Sacras litteras memoriter pronuntiavit: de iisdem disseruit cum Episcopis: earumdem interpretes in unum diligentissimè collegit y.

Theodosii junioris & Magni Caroli eximia laus pietatis.
y Socrates 7 Hist. cap. 22.

Carolus, præter lectiones sacras unicuique festivitati convenientes per circulum anni, quas à Paulo Diacono decerptas, voluit in Ecclesia legi z: legendi, atque psallendi disciplinam diligentissimè emendavit, tametsi nec publicè legeret, nec nisi submissè, & in communi cantaret a.

z Sigebert.
Legendi & Psallendi disciplina emendata.
a Eginhardus in vita.

Produci prætereà in exemplum possunt piissimi Francorum reges Ludovicus & Robertus: prior, Philippo quoque filio in mandatis reliquit Divino officio piè interesse: posterior, Ecclesiastica etiam Cantica composuit.

Ludovicus & Robertus piissimi Francorum Reges.

Ut audiam vocem laudis tuæ.) Hebraicè, ut nunc sunt puncta לשמע *laschimiahh*, ut *audire faciam*, hoc est, palàm celebrem. Deest non modò in textu Hebræo, sed in emendatis quoque Græcis codicibus pronomen. Ablatis punctis potest esse verbum kal לשמע *lismachh*; hoc pacto pronuntiando, & notando לשמע *lismachh*, & in hiphil solet jod exprimi. Hieron. autem vertit eo modo, quo nos legimus. Telesphorus b: *ut clara voce prædicem laudem*. Eusebius videtur secundum priorem lectionem, usus interpretatione Græca, & legisse τῷ ἀκουστὴν ποιῆσαι, nam exponit, καὶ τὴν ἐμὴν φωνὴν ἀκουστὴν ἐποίουν τοῖς πλησιάζουσιν, ὥστε πάντας ἀκούειν τῆς ἐμῆς φωνῆς αἰνούσης σε τὸν Θεόν. *Et meam vocem auditam faciebam iis, qui propè erant, ut omnes audirent meam vocem laudantem te Deum. Sacrificium laudis honorificat Deum* c: & qui libenter laudes audit Dei, ceteris communicat. Dominus enim facit Sanctos enarrare *mirabilia sua*, d & qui audit, dicite, *Venite*. Illos dumtaxat *audire vocem laudis Dei* docet contra Pelagianos August. qui percipiunt intimo sensu, quidquid habent, esse donum Dei, & gratiæ ipsius: qui præsumunt de sua justitia, meritisque quasi à se illa, non à Deo acceperint, non Dei, sed propriæ vocem laudis audire.

b Ep. 2.
c Ps. 49. 23.
d Eccl. 42. 17
e Apoc. ult. 20.
Qui dicantur audire vocem laudis Dei;

Et enarrem universa mirabilia tua.) Lege quæ notata sunt de mirabilibus, & qua ratione universa narrari possint, in Psalmo nono f.

f vers. 1.

Vers. 8.) Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

EXilium propterea mihi molestum, quia tabernaculum videre non possum, in quo clarius te ipsum manifestas signis & responsis g, queque forma etiam externa adeò pulchrum est: & juxta tropologiam, quia non licet mihi cum illis agere, in quibus propter justitiæ pulchritudinem inhabitas & inhabitando, justitia pulchros efficis, atque glorificas, & à quibus vicissim, ob gratiam inhabitationis tuæ glorificaris. Haud dubium quin animi divina per gratiam forma longè sit pulchrior tamen piorum est, externam domus, ac templi Dei, quas illud decet h, pulchritudinem adamare, & procurare: quod iidem quos antè memoravi, aliique prætereà religiosissimi Principes, & imprimis Constantinus, atque Carolus, verè Magni, fecerunt. Nec non hac certè in re laudandus Justinianus, de cujus ædificiis librum scripsit Procopius. Eximius amor Paulini circa decorem domus dicatæ in honorem S. Felicis i; nam quod tantus vir fecit, ita etiam cecinit;

g Ex. 40. 38.
h Ps. 92 5.

Et foribus servire tuis tua limina mane
Mundicie curare fines, & nocte vicissim
Excubiis servare piis, & munere in isto
Claudere promeritam defesso corpore vitam.

Paulini studium circa decorem domus S. Felicis.
i Natali 1. S. Felicis.

Altero contentus exemplo ero Nepotiani. De illo narrat Hieron. k, quod erat sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum: si vasa luculenta, &c. Item quòd Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrabat, ut quidquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quàm visu, presbyteri laborem (erat ille presbyter) & studium testaretur,

Nepotiani pium studium.
k Epist. 3.

Id sibi

Id sibi Deus perplacere ostendit adeò accurata descriptione rerum singularum ad Tabernaculi, Templique ornamentum pertinentiam, quam Mosi dedit, deinde Davidi, & Salomoni a.

a lege Exod. c. 15. usque ad 31. c. 15. ad 39. libr. Num. cap 7. 1 Par. penul. & ult. Paral 3. & 4. & 5.

Non hìc modo refellendi, qui templorum negant Christianis usum, vel non nisi ad Sacramenta ministranda, & concionandum, non ad orandum ea permittunt, nec volunt erigi in honorem Sanctorum: certo ritu consecrari, magnis sumptibus ornari. Disputat accuratè de eis Bellarminus b, neque nonnihil aliquoties in Commentario ad Actus Apostolorum.

Templorū usum & alios ritus Christianis negantes refutati.
b libr. 3. de cultu Sanctorum.

Templi vox, sacrificium; *Oratorii*, Orationem; *Basilica*, memoriæ martyrii honorificam reliquiarum conservationem: *Ecclesia*, conventum ad Sacramenta & Dei verbum, indicat. Ornatus talis loci laude dignus est, maximèque utilis, quum alliciat, foveat, augeat pietatem. Sed exigere quandoque rectus charitatis potest ordo, ut non modò eam in rem sumptus tanti non fiant, sed jam quoque facti convertantur in opera alia, ut ad sublevandos egenos: tunc melior misericordia c, Deoque gratior. Potior præterea ornandi spiritualis templi habenda ratio quam materialis, & ut idoneos habeat Ecclesia ministros, magis curandum, ut Hieron. d monet, & Bernardus e, apud quem sunt aliæ præterea observandæ cautiones, Monachis maximè de quibus agit. Juxta id, quod jam dixi de majore cura virtutis, ac internæ religionis, Cassiodorum intelligimus, negantem hìc Prophetam loqui de pulchritudine parietum, aut ministrorum pretiosissimo apparatu, sed de ipsorum actuum beatissima qualitate, quibus cuncta gaudet Ecclesia in Psalmorum jubilatione, in precum sanctitate, in humillima devotione. Ita quoque debet accipi Auctor Operis f imperfecti, quum scribit, Davidem hìc non agere de decore, qui consistat in diversitate splendentium marmorum: sed quem præstet varietas viventium gratiarum: quia decor ille carnem delectet; iste vivificet animam: ille pro tempore decipiat oculos, & deludat; iste in perpetuum ædificet intellectum. Mens eadem August. g scribentis, quòd qui diligit decorem domus Dei, non est dubium, quia Ecclesiam diligit, non in fabrefactis, & tectis, non in nitore marmorum, & laquearibus aureis, sed in hominibus fidelibus, sanctis, Deum diligentibus ex toto corde suo, & ex tota mente sua, & Proximum suum tamquam seipsos h. Porrò ex hoc loco Nicenum Concilium i secundum trahit pro Imaginum usu argumentum, sicut & ex alio Psalmo, * in quo dicitur, quòd *Confessio* est *in conspectu* Dei, & quòd vultum ejus, idest, Christi, deprecarentur omnes *divites plebis* k, & quòd exquisiturum se David caneret faciem Dei l.

c Mat. 9. 13. & 12. 7. Osea 6. 6
Spiritualis templi potior habenda ratio quam materialis.
d Ep. ad Nepotianum.
e In Apolog. ad Guliel. Abbatem.
f Hom. 47. in Matt.
g Ser. 25. 48. de Temp.
h Mat. 22. 37. 38.
i Actione 2.
Pro imaginum usu argumentum ex hoc loco.
* Ps. 95. 6.
k Ps. 44. 13.
l Ps. 26. 8.
m Serm. 254

Ultrà decorem domus Dei materialis, hoc est, templi, cum omnibus, quæ pertinent ad illam, cumque ipsius ministris, divinis officiis, sacramentis, &c. ac præter illum, qui visitur in domo mystica totius Ecclesiæ, ac in singulis justis, de qua idem Augustinus m, & Cyrillus n Jerosolym. decor domus illius, in quo Deus habitat modo adhuc magis peculiari cum Beatis, nempe cœlestis, amorem nostrum provocat. De intimis ardentis sancti amoris medullis, ait Augustinus o, dictum: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, in qua est spei nostræ gaudium*; & p, *O domus Dei luminosa, & speciosa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini Dei mei, fabricatoris, & possessoris tui: tibi suspiret peregrinatio mea: nocte, ac die tibi inhibet cor meum: tibi intendat mens mea, ad societatem beatitudinis tuæ pervenire desideret mens mea.* Hieron. q narrat, Paulam sub mortem versum istum susurrasse cum illo alterius Psalmi r: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Sic præterea locum istum Bernardus intellexit f.

de Temp. sive 3. de Dedic.
n Catech. 11.
o 22. de Civ.
p Medit. c. 20. & 12. confess. c. 15.
q Ep. 27.
Paulæ sub mortem pii versus in memoriam venientes.
r Ps. 83. 2.
f Serm. 33. in Cant.

Potiore jure nobis id meditantibus exclamare licet, quàm Balaamo t: *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel?* Si Salomonis nostri mystici ædificia ista contemplabimur, non habebimus *ultrà spiritum* præ admiratione u. Decorem istum, qui nunc perspicitur in Ecclesiæ ceremoniis, ritibusque, Nazianzenus x ita demiratur, ut neget magis equam Thessalonicensem, aut mulierem Lacænam laudem habere; tales verò esse, ut nullus eorum, qui vestigiis nostris insistunt, eos æmulari possit, quando quidem non tam humana ingeniis atque inventionibus, quàm vi divina, temporisque firmitate, vigoreque obtinuerunt.

t Num. 24. 5
u 3. Reg. 19. 5
Nazianzeni circa ceremonias & ritus Ecclesiæ admiratio.
x Orat. 1. contra Julianum.

Contemptores, ac violatores, flagello, & Christi zelo, cohibendi, cujus meminerunt omnes Evangelistæ y, & gravissimis Dei minis, apud Aggæum z, qui juxta nominis Etymon festivus est, meritòque propterea tuetur festivitatem cultus, ac templi divini adversus eos, qui pluris faciebant privatas domos, & commoda David dilector decoris domus Dei, quum hanc vellet ædificare, dicebat ad Nathan prophetam a: *Videsne, quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?* Deo autem ipsi canebat b vovendo: *Si introiero in tabernaculum domus meæ: Si ascendero in lectum strati mei: Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis* (illis capitis partibus, quæ sunt suprà genas:) *donec inveniam locum Deo Jacob.* Mansuetudo autem illa David, quam præfatur vel ipsemet, vel cantor, vel populus, orans ut ejus meminisse dignetur Deus, atque rependere, ab Aquila vocatur κακουχία, à Symmacho κάκωσις, videlicet afflictio, qua seipsum ille vexare constituerat, curaque maxima quàm susceperat, quietem nullam capiens, quoad reperiret locum extruendi templi. Hieron. ibi reddit afflictionem.

y Mat. 21. 12 Mar. 11. 15. Luc. 19. 45. Joan. 2 14.
z c. 1. toto.
a 2. Reg 7. 2.
b Ps. 131 3. 4.

Decorem domus tuæ.) Telesphorus c & Hieron. *Habitaculum domus tuæ.* Hebraicè מעון *mehhon*, Theodoreto teste, Symmach. quod Agell. affirmat de Aquila. ἀνακτορον *basilicam* sive Regiam, domum vel adytum: Apollinarius autem appellat θεσπέσια μέλαθρα, *divina palatia*. Fortassis Hebræa vox עין *hhain* oculis rem spectabilem, & visu pulchram denotat, quum nempè aptè decenterque disposita est, quod valet ἡ εὐπρέπεια. Templum vocari *domum Domini* alibi docui d, τὸ κυριακὸν, & *dominicum*: quo etiam pacto Cyrillus e loquitur Hierosolymitanus. Hugo Cardinalis domus Dei acceptiones quatuordecim numerat: & quamlibet habere decorem suum diligendum.

c epist. 2.
d Act. 2. 1.
e Catech. 18.

Locum habitationis gloriæ tuæ.) Telesphorus f, & Hieronym. g, Psalterium Vaticanum, Adrianus Papa I. h *locum tabernaculi gloriæ tuæ.* Augustinus i, *locum tabernaculi claritatis. Gloria* porrò vocabulum pro *arca ponitur* aliquoties, Hebraicè כבוד *chauod*, ut apud Ezechielem k. *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini*: & in libris Regum l: *Translata est gloria Dei ad Israel*: & in Psalmis m: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem*, Hebraicè, gloriam, *eorum in manus inimici.* Joannes in Apocal. sæpè ponit in cœlo templum ad similitudinem tabernaculi, vel templi, quod fuerat in Jerusalem: immò ibi meminit esse templum tabernaculi testimonii, atque arcam m. Idcircò rectè anteà diximus hìc innui quoque locum beatitudinis.

f ep 2.
g Hic, & in c. 2. Jonæ.
h ep. ad Constantin. Imperat. & ep. ad Tharasium Patriar. Const. in Concilio Niceno. 2. Act. 2.
i ser. 254. de Temp.
k c. 1. 28.
l 1. Reg. 4. 21
m Ps. 77. 61. c. 11. 1. 5. 15. 5.

Vers. 9.) Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.

PEtit pro se sententiam proferri ab illo, quem jam initio appellavit judicem, & cui suam exposuit innocentiam, videlicet ne condemnetur ut solent impii atque homicidæ.

Ad hoc duplex genus Improborum, qui contra Deum peccant, contraque Proximum, ceteri revocantur cum omni genere aliorum peccatorum: quemadmodum duobus charitatis præceptis erga Deum Proximumque, reliqua comprehenduntur. Profani isti non diligunt decorem domus Dei, nec locum habitationis gloriæ ipsius, hoc est, templi, quod est sanctum, & mirabile in æquitate n. Exigens nimirum admirabiles, & eximias virtutes omnes, sive virtutibus ornatos, quibus ornetur magis, quàm ornamento & cultu externo; & in quo Deus mirabilem præbet sese inter alia, dum justitiæ, atque clementiæ signa edit, & has ipsas, & alias ritè id frequentantibus communicat: prætereà ubi summo quodam velut justitiæ ordine cuncta administrantur, disponunturque, in sacris, in ritibus, in ministris.

n Ps. 64.

Quocircà meritò secerni vult ab eorum cœtu, apud A quos nullus ordo, nulla æqui ratio, proptereàque procul, procul esse docet tamquàm profanos, sicut in cœleste templum non intrat *aliquod coinquinatum* b, &c. Sed *foris* jubentur *canes esse, & venefici* c, &c. Quia tamen interim latent, ac tolerantur, flagitat, ne ob hanc cum illis communionem, perdat illum; sed suo tempore ab illorum societate, perpetuò eximat, ut quibus in hac vita morum dissimilitudo est, sit & in retributionis diversitate separatio.

b Apoc. 21. 27.
c infr. 22.15.

Ne perdas.] Συναπολέσῃς, *simul perdas*: quo pacto Cassiodorus, & alii: aliqui etiam legunt, & August. in secunda enarratione, comperdas: תאסף *thesoph*, *aggreges*, congreges, colligas, reponas, finias, consumas. Hoc modo dicitur Abraham *congregatus ad populum suum* d, quando mortuus est, quasi tum pii, tum impii colligantur, velutique colligentur in suos fasciculos, *d*, ac demetantur *e*, *Viri misericordiæ colligi* dicuntur *f*, & *Auferes*, inquit, *Spiritum eorum*, *& deficient* g. Quæ formulæ indicant immortalitatem animæ, quòd corpore tamquam stipula resecto, remaneant animæ arista, B & in manipulum colligetur.

d Gen. 25.8.
e Mat. 13.39
f ibid. & Apoc. 14.15.
g Isa. 37.1.

Cum impiis.] עם חטאים *Hhim Chattaim*. Latiùs patet nomen hic, quam impiorum, & ἀσεβῶν, tamen rectè de istis accipitur, ut, quod priùs notavimus, duplex indicetur peccati genus, hoc in Deum, aliud contra Proximum, quem lædunt maximè *viri sanguinum*.

Deus.] Omittitur hoc *Dei* nomen in aliis editionibus, & Psalteriis, & ab Augustino, Cassiodoro, &c. Sed legit Euthymius, ac Theodoretus.

Animam meam.) Videtur quidem *anima* hominem totum significare posse, nec non vitam, quæ mox exprimitur: tamen ex propria quadam comparatione ad impios prout violant amicitiam, & gratiam Dei, in qua consistit animæ vita spiritualis: & quia qui alienum sanguinem fundunt, & eripiunt alteri vitam, digni sunt, quibus pariter sanguis, ac vita eximatur: poterit hic *anima* perditio sumi spiritualiter pro damnatione, sicut *vita*, pro interfectione corporis.

Viris sanguinum.) Homicidis, etsi alii præterea vitiis laborantes carnalibus interpretentur, aut morte di- C gnos. Leges Psalmum quintum *h*. Facultatula pauperis vocatur *sanguis* ejus: quemadmodum quidam ærarii pecuniam ejusdem vocat *sanguinum*. *Qui pauperem defraudat, homo sanguinis est* i. Ille etiam, qui semen effundit, non caussa prolis. Tandem qui occidendo sanguinem elicit. Michæas, *k*, *Væ* iis dicit, quæ ædificant *Sion in sanguinibus*, *& Jerusalem in iniquitate*. Habacuc *l* assimilem omninò sententiam habet. *Vir* item *sanguinum* censetur, qui non obturat aures, ut audiat sanguinem *m*, idest, qui facilè admittit, libenterque fallos accusatores, & testes, qui alienum sanguinem sitiunt. Adhæc potest Idololatra sic appellari, qui libabat bibendo in sacrificiis cum lacte, vinoque permixtum sanguinem.

h Ps. 103.1.
Duplex peccati genus.
i v.7.
Aerarii pecunia, ejus sanguis.
K Eccl. 34. 25. 27.
l c.3.10.
m c.2 12.
Vir sanguinum quis dici possit.

Vers. 10.) In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

HI sunt impii, virique sanguinum, sed hi maximè, nisi impios intelligamus magis genericè pro peccatoribus, etiam qui sunt viri sanguinum, sive homicidæ, ac injusti, & sunt partim patratores mali, partim mali lucratores. Loquitur verò præcipuè de principibus, atque judicibus, qui se muneribus corrumpi sinunt, quæ manibus recipiant. De munerum iniqua receptione dixi Psalmo decimo quarto *n*. Vocat judices quosdam δωροφάγους Hesiodus: damnatque hanc δωροδοκίαν Plato libro de legibus 12. & extabat olim Cincia lex muneralis, ne cui liceret nummos accipere, de qua Tullius *o*, deque rei ipsius turpitudine *p*. Denique hoc inter necessaria numeratur ad regiam administrationem, τὸ σωτηρεῖν αὐτὸν ἀδωροδόκητον, *servare seipsum immunem à minoribus recipiendis*. Reprehendunt item Hieron. *q*, & Bern. *r* in Religiosis munuscula, ut litteras, sudariola, &c. nec enim decore sanctum amorem, & mundi contemptum, & dexteram eo modo repleri muneribus, idest, quum videntur eorum bona opera, & plus lætari in illis, quàm in istis. Addit Bernardus, qui caussa amoris Dei, ab hominibus dona vanitatis, & superfluitatis non recipit, Deum in majestate sua visurum *s*.

n Isa. 33.15.
o v.5.
p de Orat. & 1. ad Attic. Epist. ult.
Inter necessaria ad regiam administrationem quid numeretur.
q 2. de Offic.
4. in Verrem.
r Ep. 2. & in Reg. monac.
s Ad Sororem de Modo bene vivendi c. 16.

Iniquitates.) Telesphorus *t* & Hieron. *scelus* זמה *zimmah*? quæ vox deliberatum facinus, cogitatum, meditatum significat, ut aliàs dixi, præsertim verò in alterius damnum. *Iniquitates in manibus* sunt, quæ in opus rediguntur: Vel, ut ait Euthym. ac Nicephorus, quas habent improbi in promptu.

t Isa. 33. 15. 16.17.

Dextera eorum repleta est muneribus.) Dextera manu munera capiunt. Alii sensus mystici sunt apud Hugonem, & Thomam: Improbos ob nonnulla opera bona, recipere in hac vita externa munera, & temporalia, quum cárituri sint æternis; vel quidquid boni faciant; muneris alicujus, præmiique recipiendi caussa facere, quod est munus à manu, idest, emolumentum temporale, à lingua nempe, laus; à corde, videlicet favor. Nomen שחד *schochad* numeri singularis, non munus absolutè significat, sed sordis, atque corruptionis. *Dextera* pro operibus usurpatur, præsertim bonis, proque felicitate. Igitur qui hìc felices volunt esse, ac prævertere, seu vices immutare, nec expectare dexteræ futuræ locum; præterea quorum sinistra scit opera, quæ facit dextera *u*, idest, pro lucro opera alioquin bona faciunt; hi censentur dexteras habere plenas muneribus *x*. Chrysost. docens in potestate nostra esse quodque membrorum nostrorum, sive malitiæ, sive justitiæ instrumentum facere: inductionemque faciens in lingua, ore, corde, manibus, de istis mali usus exemplum hoc ex loco producit, boni autem ex alio Psalmo *y*, in quo mentio fit de elevatione manuum, in similitudinem sacrificii vespertini.

u Epist. 2.
Sensus mystici.
Dextera pro operibus.
x Mat. 6.3.
y Hom. 4. ad populum.

Vers. 11.) Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.

IDcircò cum impiis damnari non debeo, quia innocenter vixi, quod initio Psalmi his ipsis verbis dixerat: quocirca libera me ò Deus, de præsenti calamitate, atque pro misericordia tua tribue, ne deinceps in eam relabar.

Mali usus manuum ex hoc loco exemplum productum à Chrysost., boni usus, ex alio loco
x Ps. 140.2.

In innocentia mea ingressus sum,) Telesphorus *z* Papa, & Hieron. *In simplicitate mea gradiar* בתמי אלך *bethummi elech*. Nomen Hebræum ista valet, ac *integritatem*, perfectionem, sinceritatem. Verbum futuri temporis est pro præterito, vel indicat, quod fecerit hactenus, & se fecisse, principio Psalmi eadem utens voce, dixit, in posterum semperque facere velle. *Qui festinat ditari, non erit innocens* a; nimirum is, qui malis vult artibus dives fieri cum injuria proximi; non erit impunitus à Deo, nec effugiet hominum vituperationes, atque reprehensiones. *Innocuum* ἄκακον opponit innocenti: nocumentum autem quodcumque per *sanguines* antea intellexit. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia* b, ἐν ἀκακίᾳ בתמים *bethamim*. Apollinarius hoc loco exponit βίον μείλιχον, *vitam placidam*. Assumpsit Innocentius Papa VIII. sententiam istam symboli loco *c*.

a Epist.
b Prov. 28. 20.
c Ps. 83. 12.
d Platina, Onuphrius, Ciacconus,

D *Redime me.*) *Redimere*, sæpè idem est quod liberare, species pro genere. Nisi velis dicere hoc adeò frequenti usu istius verbi voluisse Spiritum S. insinuare liberationem potissimùm Electorum de quacumque tribulatione, appellari posse redemptionem, quoniam pretio sanguinis Redemptoris nostri Christi comparatur, & fit. Pretium idem indicat aliud verbum, quod hìc est, *miserendi*: & Enarratores de pretio illo sanguinis hoc eodem loco meminerunt: simulque de libertate, in quam asserti sumus à multiplici servitute, ac malo, licèt Thomas externa per verbum *redimendi*, per *miserendi* potiùs mala interna velit denotari.

Redimere quid sit.

Vers. 12.) Pes meus stetit in directo: in Ecclesiis benedicam te Domine.

QUod ad me attinet, fixi mentis meæ quasi pedem, propositumque in recto tramite tuo, legisque tuæ,

tuæ, ut numquam recedam: sed ego misericordia tua: A quam si concesseris, ut benè spero, benedicam te, atque celebrabo, & laudabo Psalmis, & hymnis in omni piorum conventu, non in tabernaculo dumtaxat, vel templo.

Pes meus stetit in directo.) Hieron. ac Telesphorus, *in recto*: August. *in rectitudine*; Psalteria, Romanum & Ambros. *in via recta*. *Pes*, mysticè rationem, affectionem, operationem designat; vacillare hæc nonnihil possunt: firmitas est, ne per errorem dimoveantur, per cupiditatem, aliumve affectum pravum, per malam actionem. De his Hugo Cardinalis.

Mystica interpretatio.

Per *directum*, *rectum*, *rectitudinem*, *viam rectam*, quam vocant LXX. εὐθύτητι, Symmachus τὸ ὁμαλόν, & Hebraicè dicitur מישור *mischor*, (qui est *locus planus*, magis excultus, & amœnus,) possumus intelligere legem æquabilem Dei, aut iter operationum per eam, in illa, quam proximè nominavit innocentia, sive simplicitate, &c. ita ut nihil perversum, obliquum, tortum, asperum sectetur, sed sint ipsi *prava*, *indirecta*, & *aspera in vias planas* a: omnibus sit æquus, blandus, lævis, B lenis, sine scandalo, absque offensione. Pedes ad ambulandum dati: stant verò, quando intra certam semitam moventur. Mundum animal bisida præditum ungula, homo est; sic amans justitiam, rectumque iter, ac per id ambulans, quod ait Cyrillus *b* Alexandrinus, ut rectè & erga seipsum, & erga alios sit affectus. Chrysost. *c* claudicatione unius pedis Jacob *d* Judæos claudicantes à semitis Dei *e*, & in duas partes *f*, unicumque Testamentum vetus recipientes, accipit: per alterum pedem firmum ex Gentilibus fideles. Ad hunc statum, firmitatem, perseverantiam hortatur nos Apostolus, sic fidelem describens, eum qui in fide stat *g*: *state* inquit h *in fide, & in Domino*, &c.

a Isa. 40.4.
b 14. de Adora. in Spir.
c in Ps. 93.
Claudicationis Jacob interpretatio.
d Gen. 32.31
e Ps. 17.46.
f 3. Reg. 18. 21.
g Rom. 11.20 2. Cor. 1. 24.
h 1. Cor. 16. 13. Gal. 5.1. Eph. 6. 14. Philip 4.1.2 Thess. 2.5.

In Ecclesiis benedicam te Domine.) Hieron. Telesphorus, Psalterium Romanum, & Ambros. *Benedicam Dominum*, sicut Hebraicè, nisi forsan ex: אברך *avarech* excidit aliud כ, quæ simul cum radiceli, alia similis esset pro affixo pronomine personæ secundæ generis masculini. Nomen plurale *Ecclesiarum* non præjudicat uni Catholicæ, sicut aliàs notavi cum Augustino *i*, C qui aliis exemplis id confirmat.

i in Ps. 150.

Ecclesiæ porrò vocantur hìc מקהלים *makhelim*, etsi Arias legit מקהלים *makahalim*, volens habere instar participii in conjugatione tertia, piel, quæ efficaciam plerumque adsignificat, ita ut selectissimas, probatissimas, optimas conciones, cœtusve significet, quemadmodum, & quod iterum dumtaxat, sed sub forma fœminina occurrit in Psalmo LXVII. *k* מקהלות *makhaloth*, vel ut idem velle debet Arias מקהלות *mekahaloth*: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino*, quasi videlicet prius viros vocabulum, posteriùs fœminas ecclesiasticè convocatas designet.

Vocis Ecclesiæ interpretationes
k v.27.

Ceterùm Eusebius, Theodoretus, Euthym. Basilius observant in his verbis prædictionem, futurum fuisse, ut Psalmisti toto terrarum orbe per omnes Ecclesias decantarentur: quòd jam ait Theodoretus terra marique impletum. Cyrillus quoque Jerosolym. *l* ait, repudiata Ecclesia malignantium, in versu quinto, prædici in isto multiplicandas per orbem Ecclesias Christi, quæ una quoque conflata de multis appellatur *Ecclesia* D *sanctorum*, & in ea dicitur laus Dei esse *m*. Videtur Apollinarius intellexisse hæc verba de benedictione, quæ fit per prædicationes hortatorias, vel per carmina, quæ tale contineant argumentum: ait enim:

l Catech. 18.
m Ps. 149.1.

Καί σε μάκαρ μέλψαιμι παραινέσεσσι λιγέων.
Et te Beate canam exhortationibus prædicans.

Putant aliqui per *Ecclesias* intellexisse Davidem Synagogas, quarum usus esset etiam ad orandum extra templum, & priùs quàm templum existeret; neque Jerosolymis dumtaxat, sed & alibi diversis in locis, quamvis uno tantùm in loco sacrificare fas esset, ubi erat arca. Easdem significari volunt in Psalmo LXVIII. n. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino*: & in libro Ecclesiastici o: *In Ecclesiis Altissimi aperuit os suum*. Hac de re in commentario Actuum Apostolorum egimus ad cap. 6. p. Infinitus propè numerus est nostrarum Ecclesiarum, quibus multo meliùs congruit, ut in iis benedicatur Deus.

n v.27.
o c.24.2.
p v.9.

PSALMUS VIGESIMUS SEXTUS.

1. Psalmus David priùsquam liniretur.

DOminus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?
Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?
2 Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas:
Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.
3 Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.
Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.
4 Unam petii à Domino, hanc requiram, ut in habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
Ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus.
5 Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.
6 In petra exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.
Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, & Psalmum dicam Domino.
7 Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, & exaudi me.
8 Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.
9 Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à servo tuo.
Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.
10 Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.
11 Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.
12 Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.
13 Credo videre bona Domini in terra viventium:
14 Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

TITULUS.

Vers. 1.) Psalmus David priusquam liniretur.
Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?

HEbraicè tantùm extat, in titulo לדוד *le David*, eodemque modo Chald. & apud Hieron. Sed & refert Didymus, ac Theodoretus in hexaplis Origenis nihil ampliùs inventum esse. Ideò credunt quoque, nonnulli, nec à Septuaginta hæc addita. Quisquis addiderit, recipi debent, quidquid contradicat Eugubinus. In quibusdam prætereà codicibus additur, *in finem*, & videtur Cyrillus in Catena Barbari citatus legisse, εἰς νῖκος. *In Victoriam*.